

MANICURUM
TATIONES

medicæ

1717

anonym.

994


A

80



Vog.





DISPUTATIO PHYSICA
exhibens

I.

DOCTRINAM de
MAGIA.

II.

THEOREMATA
MISCELLANEA

ex parte tùm generali tùm speciali Physicæ,

Quam

Sub PRÆSIDIO

Viri plurimùm Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. CONSTANTINI ZEZERA

SS. Theol. Licentiati, Physicæ Professoris Publ. in Academiâ Wit-
tebergensi florentissimâ longè celeberrimi,

*Domini, Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui filiali plusquam ob-
servantiâ etatèm devenerandi,*

Ad diem 6. Aprilis Anno $\text{ᾠ}\text{ς}\text{ϰ}\text{ε}\text{ῖ}\text{σ}\text{ο}\text{γ}\text{ο}\text{ν}\text{ί}\text{α}\text{ς}$ 1661.

Horis matutinis, in Auditorio Majori.

Publicæ Philosophorum ventilationi subicit

M. ELIAS CONRADI Dresd. Misn.

Aut. & Resp.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

Anno $\text{ϰ}\text{ῖ}\text{Ḷ}$ C LXI.

DISPUTATIO PHYSICA

DOCTRINAE

MAGISTRUM

THEOPHILUM

MISCELLANEA

EX DOCTE ET PRAESTANTISSIMO

DOCTORE

VIRI PRAESTANTISSIMO

DN. CONRADO

PHYSICAE

DOCTORE

AD HONORANDUM

IN

M. B. D. N. P. D. D. M. P.

PHYSICAE

PHYSICAE

17



PRÆSIDE JOVA!

§. I.

B Revisissimæ, *Anagnosta honorande*, ducendæ nobis lineæ sunt, summos saltem apices huc ponamus, plurima discursui publico reservaturi. Bono itaq; cum DEO ad definitionem tam nominalem quam realem accessus faciendus. Definitur a. Magia ab Incomparabili nostro *Sperlingio* hunc in modum:

§ II. *Magia est habitus rerum abditarum, scientiâ operumq; mirandorum arte constans. Ubi circa Onomatologiam notetur.*

§ III. 1. *Paronymia.* Magia Persicum reputatur Vocabulum. Græcis dicitur $\Delta\pi\omicron\tau\epsilon\ \mu\acute{\alpha}\gamma\omicron$, quod idem est ac σοφός sapiens. Quondam enim in magno apud Persas æstimo Magos fuisse hinc inde patet. Quippe fuerunt illi ipsi Sacerdotes, Medici, Physici, Mathematici & Prophetæ non infimæ notæ, unde φιλόσοφοι & φιλόθεοι uno dicti verbo sunt, nemo enim, docente Gellio, ad Imperii clavum penes Persicos fuit elatus, nisi prius Magicâ arte imbutus, hinc Magia est quasi Sapiencia rerum tam divinarum quam humanarum naturam per exactam Sym- pathias & Antipathias indagacionem revelans.

§. IV. 2. *Homonymia.* Accipitur 1. *pro anili superstitione* & rusticâ divinatione, ut quando ex duodecim noctibus Natalem Salvatoris insequentibus totius anni futuri tempestas judicatur, similiter quando ex Conversionis Paulinæ diei constitutione annonæ caritatem aut vilitatem, itemq; Rerum publ. sortem colligere plebs credula tentat. Sic nonnulli ex Cuculi clamore observato aut mortem aut longævitatem, aut etiam ineundi thalami tempus sibi præfagiunt, ex picæ croatione adventatem stolidæ mulierculæ expectant hospitem, ex propiori corvi clamore fata suprema formidant, miserumq; corvum innumeris acclamitant imprecationibus, ex gallinæ cantu nescio quæ mala domui prænunciant, ipsam gallinam ob cantum (rectius, si propter pinguedinem)

vid. Schmid.

Not. in c. 2.

Matth. v. 1.

p. 21. 28.

Becmann.

de Orig. p.

m. 693.

Strabo l. 16.

Scalig. Ex-

erc. 328.

Aul. Gell. l.

10. c. 9.

Cic. de di-

vinat.

Peuc. de

Magiâ p.

137.

capitali supplicio afficiunt, & quæ sunt sexcenta alia, ridicula magis quàm applausibilia, & à nostrâ Andromache alienissima. 2. Vel pro *Ὀνειρομαντεία* in genere, vel pro revelatione somniorum *Θεοπνεύσως* factâ in specie, qualis fuit olim in *Josepho Patriarchâ*, itemq; *Daniele*, de quibus in S. S. Codice, nec nostri hæc est fori. 3. Pro *Magiâ demoniacâ* tantùm, s. pro *γοητεία*, quod ex detestando scientiæ hujus abusu ope mendacissimi Spiritus factum, (non secus ac alijs accidit Vocabulis, uti sunt *Sophista*, *Tyrannus* &c.) illamq; igne extirpandam ac sufflaminandam oppidò censemus. Deniq; 4. pro *habitu tali*, quem in præsentiarum ex B. nostro *Phyfico* definitum dedimus; & hanc acceptionem nostro adaptamus negotio.

§. V. 3. *Synonymia*. Quoad abstractum Græcè illa ipsa dicitur *σοφία*, *φιλοσοφία*, Concretum autem s. illi qui arte hæc imbuti sunt apud Chaldæos & Persas quidè vocatur *Magi*, apud Indos *Brachmannes*, apud Gallos *Druidæ*, apud Judæos *Cabbalistsæ*, apud Græcos *σοφοί*, apud Latinos *Philosophi* s. *Gymnosophistsæ*, apud Germanos *Papen* oder *Pfaffen*:

§. VI. Evolutâ *Onomatologiâ* s. definitione nominali, *Pragmatologiam* s. definitionem realem aggredimur. ubi not.

§. VII. 1. *Genus*, quod 1. non est *Scientia*, sic enim angustius foret specie, quod tamen Joh. Baptista Porta adstruit. 2. non *Arts*, ut Apuleius & Paracelsus, hi enim parem cum isto errant errorem, quia expellitur hæc ratione *Magiâ Theoretica*, id quod impingit in bonæ definitionis regulam. Sed est 3. *habitus*, hic tamen non simplex, sed *Compositus* sive *mixtus*, ex *Scientiâ* scil. constans & *Arte*, id quod non tam in gratiam Præceptoris nostri B. *Sperlingii*, quàm ipsius veritatis dictum volumus. Non enim est, quod quis dicat, esse *ἀφιλόσοφον* hoc assertum, *Artem* namq; à scientiâ, hanc ab illâ tolli atq; excludi, cum & ipsa *Philosophia* talis audiat habitus, quod cuiusvis ad oculos patet, nec etiam disparata sed Opposita demum se invicem tollant atq; expellant, & quæ, quæso, pugnare queant rei cognitio & ejusdem applicatio?

Porta lib. 1.
Mag. nat.
c. 2.

§. IIX.

§. IIX. 2. *Differentia.* Petita illa ipsa est partim à duplici *Objecto*, quod sunt (1) *res occultæ & arcanae virtutis*, unde mira prædicuntur, (2) *opera stupenda*, unde dira producuntur, partim à *partibus integrantibus analogis*, *Theoriâ scilicet & Praxi.*

§. IX. *Definitionem* excipit *Divisio*. dividitur juxta desideratissimum nostrum *Physicum* in *Theoreticam & Practicam*. *Illæ est rerum obscurarum & abditarum Scientia. Hæc est cognitionis ad opera admiranda applicatio.*

§. X. *Divisio hæc* non est *Generis* in suas species, sed totius integralis analogici in partes integrantes analogicas.

§. XI. Subdividitur utraq; in *Naturalem seu licitam*, & *Demoniacam seu illicitam*. (Quæ posterior Germanis vulgò *die Zauber Kunst* oder *Schwarzkünstlerey* appellari consuevit.)

§. XII. Notetur autem vicissim, quod distinctio hæc potius quam divisio nuncupanda sit cum non tanquam *Genus & Species*, nec tanquam *totum & pars*, sed tanquam *habitus & privatio* hæ ipsæ *Magiæ* invicem sibi opponantur.

§. XIII. *Naturalis seu licita* ita à B. nostro *Sperlingio* descripta reperitur, quod sit *habitus ex libro naturæ acquisitus*. Hæc propriè *Physicæ* considerationis est. Non autem res levis momenti aut exigui laboris d. plurium dierum & largi sudoris studium ea ipsa est. *Non infunditur, nec nascitur, sed labore summo ac periclinaci ex sedula virium naturalium consideratione inquiritur*, inquit *Excellentissimus Dn. Pomarius*. Scilicet insignem prærequirit *facilitatem*, exactamq; *qualitatum tam manifestarum quam occultarum cognitionem*, adsint igitur necesse est tria illa *Plutarchi* adminicula: *Φύσις, μάθησις & ἀσκησις*. Fuit talis quondam in *Democrito*, *Anaxagorâ*, *Clazomenio* & *Archimede*, qui mira edidit opera, itemq; in *Cyro*, qui *Camelorum & equorum ἀντιπαθείας* hanc ignarus *Crasum* vi hujus notitiæ captivum abduxisse fertur ab *Herodoto*. Præcelluit *Magiâ* hæc *Patriarcha Jacob*, qui *Phantasiæ ἐνεργείας* haud imperitus varii coloris *virgas ovibus in vasa imponebat* quarum impressione ipsæ deinceps

Plin. l. 18.
hist. nat. c.
28. & 35.

vid. Corn.
Agripp. de
Vanit. sci.
ent. c. 42.
Sperling.
Instit Phys.
p. 361.
Plin. l. c.
Pomar.
diss. de Ma-
giâ posit. 2.
§. 1.

Herodot l. 1.

1. Reg. 4.

Matth. c. 2.
v. 1.

Mag. nat.
Job. Bapt.
Port. Hil-
debrand.

Mag. nat.
Aul. Gell.
Noct. Att.
lib. 10. c. 12.
Scalig. Ex-
erc. 316.

Theophr.
Paracels. l. 1.
Phil. Sagae
s. 6.

cēps ejusmodi producebant fætus & maculatas oves. Imprimis
verò *Salomon* celebris in hâc ipsâ fuit scientiâ, de quo facer videat-
tur Codex 1. Reg. 4. Nec non Viri illi Orientales, qui *Jesuli* recens
nati videndi ac adorandi causa Hierosolymam Stellâ inusitati
commoti profecti erant, de quibus itidem legatur Textus
ΘΕΟΠΥΡΕΥΣ Matth. c. 2. 1. Et unde, quæso, tam mirandæ tam
stupendæ res, quas non rarò videmus, nisi à magiâ hâc na-
turali? Sanè plus semel per Deum juraret quis, si tales hic inde ad-
spiciat, subesse fraudem à fraudum Architecto exstructam, cum
tamen merè sint naturalia. Talis modi non paucas legere habes in
Magiâ nat. Joh. Bapt. Portæ, Artis hujus Sectatoris Strenui, ut &
Hildebrandi, ubi quidem spuria multa & adulterina cum ge-
nuinis sunt commixta. Referenda huc singula illa opera, quibus se
jactitabat antiquitas, qualia sunt feretrû illud ferreû Mahumethis
in medio aëris pendulû, Columba lignea Architæ Tarentini, Scali-
geri navicula spontè mobilis & alia plura. Verùm nec nostræ de-
sunt, quibus gloriatur, ætati, utpote Typographiæ Artis ingenio-
sissimæ pariter ac utilissimæ inventio, de quâ sanè sera sibi gratula-
tura est posteritas. Item quæve bombardæ ac pyxidibus nauticæ mi-
randa adornatio. Nec eliminanda ex illorum censu sunt, tum illa,
quæ hinc inde certo precio conspicienda circumferri solent opera,
ut horologia artificiosissima aliæque avtomata tum ea quæ in
locis quibusdam illustrioribus habentur & peregrinantibus mon-
strantur, quorum principem sibi vendicat locum *ΤΕΧΝΗΜΑΤΟ-*
Φυλάκειον illud in *Electoralis Dresdæ*, Patriâ meâ, vulgò
die Kunstammer / ubi certè miranda videre licet, ut omnes ad-
stantes in stuporem rapiantur, imò si quis de plebe primitus eadem
adspiciat, glaucoma sibi objectum credat, nec defacili sibi persua-
deri patiatur, naturali hæc effecta scientiâ aut humanis confecta
esse manibus; cum tamen pura puta sint naturalia, beneficio Sci-
entiæ hujus tam affabrè elaborata.

§. XIV. Pergimus jam ad alteram *Magiam, Dæmoniacam scili-*
cet, seu illicitam. Hic expositas suas ostendit merces stygius ille
Syc-

Sycophanta, hic fraudes, hic technas, hic astutias Satanae cernas, quinon secus ac simiq; aliquis sapientissimum naturae Artificem DEUM gloriosum imitari subinde, hominibusq; illudere fatagit, idq; per Magiam hanc commodè efficere sivevit.

§. XVI. Describitur hæc ab ingeniosissimo Sperlingio rectissimè ita: *Magia demoniaca est privatio habitus, quam in mancipiis suis supplere conatur Damon.* Hæc jam ad Phisicam non directè sed indirectè pertinet, eatenus scilicet, quatenus per illam ipsam Magia naturalis eò magis cognosci, & ab adulterina hæc discerni potest, *Opposita enim juxta seposita magis elucescunt.* Et hæc ipsa, licet innumeros habeat modos, in tres tamen potissimum dispesci solet classes, nimirum in *Divinatoriam, Prestigiatoriam, & Effectoriam.*

§. XVI. *Divinatoriam* primò consideraturi sumus. Hanc alias B. Dn. D. Meisn. in Phil. Sobr. iterum dispescit in *subtilem & crassam*, illam deinceps in *religiosam & artificiosam*, posteriorem *vicissim in facilem & laboriosam*. Nos tamen brevitatis studiosi, ductu B. Sperlingii, unâ fideiâ plures dealbaturi parietes, & sub unâ notione generali singulas contemplaturi sumus.

§. XVII. *Est autem Magia Divinatoria rerum abditarum ope demonis parta cognitio.* Exercet hanc Cacodæmon variis modis, jam enim subtilius, jam crassius agit, modò candidū, modò nigrum sese ostendit, prout Exempla omnium temporum ac locorū testantur. Huc itaq; reducenda Oracula illa Ethnicorum, ubi per statuas, somnia, gestus & ventos, mox clarâ voce, mox sonitu aliquo horrendo, non rarò etiam per obsessos homines vel vates terribili impetu responsa dabat malus dæmon, quæ partim vera, partim falsa, plerumq; autem ambigua erant & Sophistica, ita ut tam in dextram quam sinistram torqveri paterentur partem, uti illud Cræso relatum satis superq; ostendit, illi enim sciscitanti, num consultum futurum sit Cyro inferre bellum? respondebatur ab Oraculo ita:

Cræsus Halym penetrans magnum pervertet opum vim.
Ubi Cræsus amphibologicâ hæc responsione miserè decipiebatur.

Cele.

Wierus l. 2.

de prestig.

Dem. c. 11.

seqq.

vid. Peucer.

de Oraculis.

Celebre imprimis fuit inter hæc Oraculum Delphicum, ubi ex hiatu horrifico Vati tripodi insistenti responsa solebant fieri. Non tamen semper & quandocunq; lubuerit, consulere illa ipsa integrum fuit, sed certis stasisq; temporibus & diebus, vel Idibus vel Calendis, vel crescente vel decrescente Lunâ, vel ineunte vel desinente die, quod Peucero discimus Autore. Huc etiam superstitosæ κακοτεχνία, illæ & ἀτεχνία, quales sunt Θεομαντεία, ιερομαντεία, πυρομαντεία, γαμομαντεία, ὑδρομαντεία, αερομαντεία, καπνομαντεία, λιβανομαντεία, οἶνομαντεία, ἰχθυομαντεία, ἀνθρωπομαντεία, κληρομαντεία, ὄνειρομαντεία, γοητεία, νεκρομαντεία, λεκανομαντεία, κατοπλομαντεία, κρυφαλλομαντεία, δακτυλομαντεία, ὄνυχομαντεία, κοσκινομαντεία. Huc Spiritus familiares, uti dicuntur, qui includi & circumferri solent in vitris, Crystallis, annulis, thecis, Speculis, aliisque rebus etiam minutissimis, multa mira & occulta hominibus revelant & insusurrant, variisque scientijs, cum primis Philosophiâ, eosdem imbuunt fraudulenter, de quibus paulò post acturi sumus. De mulieribus illis Vaticinibus Sibyllis vulgò appellatis, earundemq; vaticinijs, libris & Carminibus, utpote quæ non obscura de DEO, ejusq; cultu, præcipuè autem de Mundi Salvatore quondam ex virgine nascituro, ejusdemq; miraculis, passione ac morte, itemq; de mutatione Regnorum, exhibent testimonia, quid statuendum sit, decidendum mihi non assumo, sed cupidum Lectorem ablegatum volo ad B. Dn. Schmid. Orat. de Sibyllis. Itemq; ad Magnif. Dn. D. Calov. System. Theol. Tom. i. c. 3. Sect. 2. Quæst. ii. p. 440. seqq. Id. in Isag. cap. 8. à p. 153. usq; ad p. 171. Peucer. de Θεομαντεία, p. 118. seqq.

§. XVIII. *Magia prestigatoria est admirandorum operum sed apparentium, auxilio Diaboli productio.*

Hic iterum latissimus sese aperit fallaciarum Diabolicarum campus;

campus; In meris enim illusionibus ac deceptionibus hæc ipsa fundata Magia est, quas si h. l. recensere mens esset, Iliade majus conficeretur opus. Quas enim non præstigias *μυριοτεχνίτης* ille per mancipia sua, lamias scilicet ac sagas, hominum objicit oculis? non rarò sagarum pariter ac aliorum ità ludit visui, ut magna se vidisse & mira effecisse existiment, cum tamen vix fumum aut speciem aliquam objectam rei gestæ viderint. Unde, quæso, tam monstrosæ & ridiculæ prorsus Circulatorum operationes hinc inde urbes ac regiones pervagantium? sanè nonnisi à præstigatoria hæc & Dæmoniacâ Magiâ. Efficit autem tales nugas mendax ille Spiritus & fallax triplici potissimum ratione: 1. *Objectum verum removendo.* 2. *aliud & falsum quidem substituendo.* 3. *sensus pervertendo & confundendo;* Quo ipso contingit, ut sæpius pro immani trabe culmum stramineum homines fascinatis admirentur oculis. Exempla nobis suppeditant primò ipsa Hierogrammata, in Magis illis Ægyptiacis, falsis Mosis æmulatoribus Exod. 7. Sic legimus Saulem à Sagâ quâdam Endoræ fascinatum fuisse, ut crediderit, se Samuelem verum è sepulcro prodeuntem vidisse, verbaq; cum ipso mutua habuisse, quod tamen simpliciter est impossibile, licet Henricus Cornel. Agrippa, & Pererius Jesuita cum alijs, fieri id potuisse perperam affirmare haut dubitent, quod Papiisticam sapit vesaniam ac superstitionem. Deinde etiam cumulatissimè reperire Magiæ hujus testimonia licet atq; Exempla in profanis scriptoribus, qui rei huic delineandæ curam dederunt. E sexcentis unicam adducere placet Historiam ex Philostrato lib. 4. cap. 5. quam Pererius l. 1. de Magiâ c. 2. p. 11. his exprimit verbis: *Erat, inquit, quædam lamia, quæ speciem gerens pulchræ mulieris: simulabat se captam amore cujusdam Menippi, juvenis formosi, ei velle nubere. Die igitur nuptiis dicato mulier illa convivium apparavit lautissimum, maximâ auri, argenti, ornamentorum, omnis generis vini & dapum copiâ instructissimum, quo cum ingressus esset Apollonius, ad eos qui aderant, conversus, inquit: Tantali hortos videtis, qui, sicut Homerus scribit, apparebant esse aliquid, cum nihil tamen essent: talem enim esse hunc omnem apparatus existimare debetis: neq; n. quæ apparet materia, ulla subest, sed materia duntaxat simulacrum est & imago.*

B

Hæc

Exod. 7.

1. Sam. 28.

Vid. Henr.

Corn. A-

gripp. de

Vanit.

Scient. c.

45.

Pererius de

Necroman-

tiâ. p. 56.

seqq.

Philostat.

l. 4. c. 5. Pe-

rer l. c. p. 11.

12.

*Vid. Came-
rar. hor.
subcis. c. 20.
Wier. l. 2. de
prest. c. 4.*

*Plin. l. 22.
hist. nat.
c. 8.*

*Vid. Ma-
gnif. ac. No-
bilis. Dn.
D. Carpzov.
Prax. Cri-
min. part. 1.
quæst. 48. n.*

*Jos 22. Item
quæst. 50. n.
66. sentent.
21. 23. 24. 26.
29. 31. 34. 35.
&c.*

*Dn. Licent.
Pomar. in
disput. de
Magia.*

*Hæc autem sponsa una est e numero lamiarum, quas aliqui larvas, alii lemures appellant. Atq; bis diebus totus ille apparatus ex oculis omnium evanuit: & illa mulier sese lamiam esse confessa est, & voluisse, Menippum voluptatibus explere, ut ejus postea corpus devoraret: consuevisse enim pulchrorum juvenum corporibus vesci, ubi ad summam sanguinis abundantiam pervenissent. Hactenus Pererius. His accensenda non immerito præstigiæ illæ innumerabiles & stupenda Joh. Fausti Incantatoris & Magi decantatissimi, (si modò vera, de ipso, quæ habetur, historia & non lusus ingenij est) quas pueros in plateis narrare quotidiè adhuc audias. Et quid aliud lycanthropia & galeanthropia, quàm mera deceptio? quid Comitia & conventus lamiarum ac veneficarum in monte Bructerorum & alibi? mera somnia, quid Commessiones ac tripudia illarum cum amatoribus suis Diabolicis? mera phantasia. Ejusdem farinae ludibrium quoq; est, quando ex baculis, parietum foraminibus alijsq; rebus lac emulgere videntur vetulæ. Similiter quando cum Dæmonibus coire, ex iisdemq; imprægnari ac liberos progenerare Sagæ perhibentur. Eiusdè comatis figmentum, non verò miraculum est, quod Johanni Teutonico adscribitur Halberstadtij Sacerdoti Metropolit. qui tribus in locis remotissimis, Festo Nativitatis Christi, Missam celebrasse fertur. Et quò alias nisi ad hanc ipsam Magiam pertinere censes detestanda illa Incantamenta ac superstitionis ritus, qui singulis annis in nocte natalitiæ Salvatoris inter Christianos etiam exerceri, plerumq; tamen à lascivis hominibus solent, indigna sanè homine, nedum credentij. Sævitur enim ibi vel maximè & furore flagrat infernalis draco, utpote qui primam illà ipsà nocte passus cladem est, tentat itaq; quibus modis possit despurcare sanctissimum illud festum honoribus divinis sacratum, ne forsan homines caelestium beneficiorum recordatione laudi divinæ, d. Diabolicis potius incantationibus atq; ineptijs indulgeant. Et quid si cum B. Dn. D. Meisnero huc referrem miracula illa Romanensis Ecclesiæ, quæ Bellarminus pro notis & *negit nptois* veræ Ecclesiæ proclamitat ac venditat? non sanè sunt miracula, sed mira duntaxat, si ità res est dicenda, fasci-*

fascinationes sunt, illusiones sunt ac deceptiones. Et quisnam adeo bene disposita memoria est, ut singula Cacodæmonis ludibria, quibus ludificare assolet miseros homunculos, enumerare valeat? Vid. cit. Auth.

§. XIX. *Magia effectoria est admirandorum operum realium, auxilio Diaboli productio.* Hic sanè mirari habes mirandam DEI nostri longanimitatem ac patientiam, quod non oculos duntaxat hominum & sensus ludibriis & phantasmatis pervertere, d. & realia opera atq; effectus veros producere Diabolo permittat, id quod fieri sivevit per Magiã hanc effectoriã, quam exercet *κακοτεχνήτης* ille vel *ἀμέσως*, vel *ἐμμέσως*, h. e. vel Solus, vel per Cultores suos atq; ministros. Est autem illa ipsa, respectu subjectorum circa quæ occupata est, partim *utilis*, partim *inutilis s. noxia*, quamvis utraq; ad hominum tam temporalem quam æternam tendat perniciem. Ad priorem classem spectat curatio vulnerum, morborum, abactio Spectrorum (*wenn ein Teuffel den andern austreibet*) aliorumq; malorum averruncatio. Ad posteriorem, tempestatum horrendarum ventorumque tumultuantium excitatio, frugum perditio, hominum pecorumq; læsio &c. Media quæ adhibentur in ejusmodi effectibus producendis sunt ut plurimum *ἀνεργα* & inefficacia ad tale quid efficiendum, ut quando in curandis morbis & vulneribus demurmurantur verba, decantantur carmina, pinguntur & applicantur characteres, numeri, figuræ Geometricæ, aliãq; ineptiæ, quibus ingentem vim tribuunt illi Satanici affectæ ac complicis. Verba illa (1.) sunt vel *συμαντινά*, ut *Jehova, Jesus, Halleluja, Hosanna &c.* vel *ἀσυμαντινά* & *ἀλλότρια*, ut *Abra cadabra, Sator, Arebo, Tenet, Obera, Rotas.* Itemq; *Hax, Pax, Max, Deus Adimax.* Itã quidam collo schedulam, pro febricurandã appensam gerebat, quam demum inspiciens has inscriptas reperiēbat verba: *hilffts nicht/ so schadets nicht.* Sunt (2) vel *bona*, in se scil. ut *Nomen DEI, & SS. Trinitatis*, quod tamen

B 2

invanum

Theophr.
Paracels.
Phil.
Sagar. c. 6.
Fernel. l. 2.
de abditis
rerum cau-
sis.
Wier. l. 5. de
Præstig. c. 19
Plin. l. 18. c.
25. b. n.

Exod. XX.
v. 7.

Horat. E-
pod. Od 27.
Virg. Theo-
cr. Catull.
Pharma-
sevir.

Hasenmüll.
c. 8 p. 296.

B. Dn. D.

Balduin.

Cas. Consc.

cap. 5. cas. 3.

p. m. 727. c.

6. Cas. 5. p.

798.

Peucer. de

Incantat. p.

161. b.

invanum assumitur, contra acerrimum summi Legislatoris interdictum Exod. 20. Similiter *Heptalogus Christi, Evangelium Joannis*, quod vel collo appenditur, vel pani & butyro inscriptum ægrotis, potissimum verò à rabido cane vulneratis, deglutiendum præbetur, DEUM immortalem, quanta superstitio! quanta ineptiæ! Et hæc ipsa totâ die in despurcato illo Papatu exerceri blasphemè solet; Vel *mala* inse, ut sunt preces, quibus Diabolus ad ferendum auxilium imploratur, quemadmodum videre est apud Horatium de Canidiâ. Huc referenda historia Præstigiatoris illius famigeratissimi Ignatij Lojolæ, qui faminam aliquam à Diabolo obsessam liberasse dicitur hoc Versu Virgiliano:

Speluncam Dido Dux & Trojanus eandem.

Verba ista modò tacitè secum demurmurare, modò clarâ voce pronunciare solent. In lædendis hominibus atq; jumentis aliis iterum uti amant mediis, utpote crinibus, ossibus, carbonibus, cultris &c. quæ vulneribus etiam absenter modo planè occulto immittuntur, ità ut sæpius à Chirurgis non sine stupore inde eximantur. Non hæc aliundè accepi, sed experientiâ domesticâ satis sum edoctus, est enim mihi Dresdæ soror adhuc inter mortales, quæ ante viginti & quod excurrit annos, pro communi Medicorum pariter ac Chirurgorum sententiâ, hujusmodi Sagarum fascinationibus ità fuit læsa atq; corrupta, ut in hunc usque diem nec manuum nec pedum fruatur organis, ex hujus vulneribus non rarò ope Chirurgorum talia extrahi ipse vidi. DEUS maleficis istis hominibus gravissima hæc ignoscat peccata, & meliorè induat mentè! Et quis ignorat genus illud impostorum, ut Peuceri utar verbis, squalidâ tetrâq; & deformi specie & habitu peregrino, quos recentes Græci Attinganos, nos Zigenos nominamus, die *Zigenner*, qui non solùm pro certâ pecuniâ multa divinare de Conjugiis, rebus prosperis atq; adversis, itemq; de vitæ termino &c. hominibus, asolent, d. etiam incantatoriâ arte marsupia evacuare satagunt, gens sanè invisâ, & in benè constitutâ Re- publ. neutiq; toleranda. Tandè quidni huc referrem Sacrificulorum Papalium consecrationes Candelarum, olei, aquæ, salis, ciborum

borum, sepulcrorum aliarumq; rerum? Item baptifationes campanarum, globorum, bufonum &c. Magicum fimiliter eft & Diabolicum, contra ictus ac fulmina narcoticis herbis Corpus immune & saxo durius reddere, certis verbis ac cerimoniais bombardis explosionem interdiceret, inflammationem ignis inhibere, ferro vim vulnerandi adimere, feipsum inconfpicuum facere, quò referenda hiftoria, nifi fabula potius, de annulo Gygis. Non melioris farinae funt: ingentes militum turmas in momento oculis fiftete, rei perditæ ablatores beneficio cerimoniae puerilium in veltigare, id quod expedire folent vetulæ fuperftiofæ cribro forcipi impofito, forcipem binis tantum apprehendunt atq; eleuant digitis, deinceps preces nonnullas recitant & nomina fufpectorum ordine recenfent; quocunq; itaq; appellato cribrum vel tremifcere vel nutare videtur, eum furti infimulant de fubito, & quæ funt innumera alia. Quæ omnia, quamvis effectum fuum verè ac realiter confequuntur, non tamen vi mediolorum iftorum, fed operâ dæmonis ita eveniunt, faltem ut eò magis abominanda fuperftitio apud credulum vulgus incrementa fumat, & ita miferi homines in fempiternum corporis & animæ tandem præcipitentur ac deducantur exitium. Sed manum de tabulâ.

*Cic. l. 1. offic.
Plato in 2.
de Rep.*

Sequuntur Theoremata.

Ex parte generali.

T H E O R E M A I.

Qualitates occultæ non funt ignorantiae Afylum.
contra Afclepiaden, Epicurum, Alexandrum, Pelopen, Fracastorium &c.

*Quis te malus genius Alexandreus adigit eo: ut miferè crederes, Senn. Hypn. p. 45.
folâ Elementorum miftione fieri poffe, ut ferrum trahatur à Magnete? Job. Fernel.
Subtiliffimus ad Cardanum inquit Scaliger, Exerc. 101. f. 14. p. m. in lib. 2. de
344. Et proinde rectè idem Exerc. 218. f. 8. p. m. 660. dicit: Ad manibus
festas omnia deducere qualitates fuma impudentia eft. Sanè videmus rum caufis.*

B 3

Avicenna lib. de virib. cord. Tr. 1. 1. c. 10.



Galen. 6. E- demus innumeras Sympathias & Antipathias tam in viventibus
pit. Com- quam non viventibus, quarum causæ ex quatuor Elementis non
ment. 6. possunt depromi. Videmus unum hominem Vatiniano plus-
text. 5. II. de quam odio prosequi alterum, sine ullâ tamen causâ ac ratione, ju-
simplic. xta illud Catulli:

med. facult. *Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare?*

Job. Fran- *Hoc tantum possum dicere: Non amo te.*

cisc. Ulm. Videmus hunc vel illum à caseo, butyro, vino, alijsq; esculentis
lib 4. de oc- aut liquorib9 abhorrere, Videmus Magnetem etiam interposito li-
cult. in re gno trahere ferrum. Dic mihi, quæso, cur minutissima etiam ve-
Med. pro- neni portiuncula interficiat hominem, & Phyllida solus habebis?
prietat. Cur nonnulli hominum propter præsentiam felis cistæ etiam in-
Aristot. l. 2. clusæ desubito lipothymiâ corripiantur? Cur bufo mortuus ve-
hist. anim. nenum extrahat? Cur cinis Cancris fluviatilis sanet rabidi canis
c. 14. morsus? Cur cornu cervi resistat veneno? Cur ursis in Sylvis dormi-
Plin. l. 32, entibus adeps ursinus in pyxide crescat & augeatur? Cur vina effe-
c. II. vescant in cellâ cum vitis ridet gemmis? Cur matres mammillarû
dolore aut lactis punctione afficiantur, infantibus lacrumantibus?
Cur panis situ ohducatur, florentibus in agro frumentis? Cur Sol
extrahat è terrâ igniculos? Cur ignis in fornace attrahat flammam
candelæ extra fornacem? cur nitrum aversetur ignem? cur pul-
lus vix exclusus formidet milvum? cur lupus infectetur ovê? Non-
ne multas mirari habes in plantis & herbis virtutes ac vires, quas
rimari neqvis? uti sunt virtutes purgandi &c. Sic in animalibus,
Echeneis pisciculus onustissima navigia nudâ adhæsione inhibet,
canis etiam per fores heri præsentiam animadvertit. Quis nescit
vim torpedinis, viperæ, aspidis, basilisci, scorpionis, tarantulæ
& quæ sunt alia? unde hæc, quæso? dicis, ex Sympathiâ & an-
tipathiâ oriri plurima. Rectè, sed unde illæ? nescis. Non sanè ex
quatuor Elementis. Vides ergò, quod ex qualitatibus occultis.
Tantum proindè abest, ut hæ ipsæ qualitates sint ignorantia, ut
potius salutare proprietatum occultarum sint asylum, sicut ipse
subtilitatum inquit Magister J. C. Scalig. Exerc. 344. Hæc dum
dicimus, nequaquam assertum volumus, ac si hæ qualitates in se
& ratione essentia sua sint occultæ, sed potius quod ratione nostri, &
quoad

quoad existentiam, nullam etiam ad eas investigandas impossibilitatem, sed ingentem duntaxat difficultatem astruimus, nec dubitari potest, quin Adamus in statu imprimis concreatae felicitatis exactissimam illarum habuerit cognitionem, imò ne Salomon illa deneganda venit. Sed plurium qui cupidus, adeat B. Dn. Sperling. Instit. Phys. part. gen. l. 2. c. 3. p. 330. usq; p. 355. B. Dn. D. Senn, Hypomn. part. 2. c. 1. p. 39. usq; 78, Combach. Phys. l. 2. c. 3. p. 423. Fracastor. de Sympath. & Antipath. Andr. Libarium Joh. Scheck. Marcell. Donat. de hist. rerum mirabil. Joh. Francisc. Ulm. de occult. in Arte Med. proprietat. &c.

II. Verba, Characteres, demurmurationes, gesticulationes, cerimonie, imagines ac sigilla, ut & electio dierum, quae non raro à Magis aut sagis, nec non à rudi plebe in curandis vulneribus aliisque rebus solent adhiberi, tantum abest, ut vim aliquam habeant aut efficaciam, ut potius merae sint superstitiones atque blasphemiae.

Quantitati nulla est vis, nulla efficacia, Philosophorum ingemnant Scripta, norunt, qui per transennam Logicæ inspexerunt Praecepta. Quantitas enim est à materiâ, quæ principium non activum est sed passivum. Cultrum tribus crucibus signatum thesaurum in intimis terræ penitralibus absconditum investigare posse, aniles logi sunt, unum diem præ altero novis vestibus induendis fastidiosum esse, somnia sunt, nisi velis ferenum præferre pluvioso, quod concedo, characteribus Pontificijs Dæmones expellimendacia sunt. Sed his non immorandum.

Martin
Delrio l. 6.
disp. Mag. 6.
2. s. r. q. 1. n.
II.

III. Signum Crucis parieti aut foribus inscriptum Diabolum neque terret neque fugat.

Signa te, signa, temerè me tangis & angis, Hoc responsum sibi certò à Diabolo sciant, qui nudo crucis signo vim hanc ac efficaciam fugandi Dæmonis ineptissimè ascribunt, qui tamen mos apud aniculas & simpliciores homines est frequentissimus. Non signum, non figura illa crucis, nec crux ipsa, si adesset, utpote quæ nuda est quantitas, Diabolum terret aut fugat, sed recordatio

datio crucifixi, sed fides & fiducia in illum qui in cruce quondam
pendit, Diabolum conterret, fugat, & ad extremas stygis infer-
nalis voragines deturbat.

IV. Spiritus familiares acceptandi non sunt.

Orandum est ac laborandum, à Domino non à Dæmone sa-
pientia venit, sudore opes acqvirendæ, non Cacodæmonis ope
ditescendum. At Spiritus familiares, vitris, crystallis, annulis,
speculis &c. inclusos consulere, eorumq; ope eruditionem ac divi-
tias sibi comparare, & ità pactum cum Satanâ inire, homine
Christiano est indignissimum, est contra naturam, quia inter ho-
minem & malum Spiritum irreconciliabilis est antipathia, est
contra conscientiam, quippe aliter in sancto baptismatis lavacro
DEO nostro stipulati, ubi Diabolo ejusdemq; operibus abjurati su-
mus; est contra ordinationem divinam, ille enim solus vult in-
vocari, à quo omnia bona ad nos redundant. Et sic abominabilis
est apostasia. Sed inquis: Bona non sunt respuenda, multa ni-
hilominus homini commoda conferunt hi ipsi Spiritus, multa ab-
dita, ut sunt consilia Magnatum in aulis & Comitijis ipsis reve-
lant, quæ scire non parum interest, quin imò multi illis utuntur,
cum insigni usu atq; fructu. Verum absit, absit, Christiane, hæc
cogitare saltem. *Non sunt facienda mala, ut exinde eveniat bo-
num. Nec etiam multitudo errantium errori parit patrocinium.* bo-
na illegitimis mediis acqvista non sunt bona, quod even-
tus tandem evincit. Exempla n. non pauca nec dubia satis superq;
hactenus nos edocuere, quàm tristissimam Tragædia hæc splen-
didissima tandem sortiatur catastrophem, bona enim ostendit,
mala intendit pessimus Dæmon. Vid. Hasenmüll in hist. Ord.
Jesuit. c. II. p. 427.

*V. Conventicula, commessationes ac tripudia Sagarum, ad
quæ certis anni temporibus furcis ac scopis insidentes
transportari creduntur, mera ludibria, ac pura puta fig-
menta sunt.*

Creditum jam diu fuit, Sagas in monte Bructerorum, quem
vulgò **den Blocksberg** nominant, ut & in aliis quibusdam lo-
cis,

cis, quolibet anno, secundum nonnullos ter, secundum alios au-
tem semel duntaxat, nimirum Calendis Maji, nocte quam famel-
læ nostræ appellare siveverunt **den KatattenAbend** / furcis ac
scopis, certis illitas ungentis ad Comitæ & Conventicula vehi,
ibidem cum amatoribus suis Diabolis opiparè vivere, lautis com-
messationibus, choreis atq; voluptatibus indulgere, hinc copio-
sissimè illâ ipsâ die curiosas mulierculas, imprimis verò rusticas,
quibusdam in locis, herbam aliquam, **das KatattenKraut** di-
ctam, cõemere videas, quam mensis, lectis, penori, fenestris, stabu-
lis, & nescio quibus alijs locis superimponunt ad inhibendam &
profligandam (*O simplex insania!*) à laribus suis Sagarum fascina-
tionem. Addere opinioni huic fidem ipsa videtur experientia,
non pauci enim sunt, qui nescio cujus radicis aut herbulæ ope
luxuriationes illas ac saltationes se vidisse, imò quasdam ex sagis
illis ipsis notissimas illic deprehendisse gloriantur. Accedit pro-
pria Sagarum Confessio, quam sæpius in torturis coram iudice e-
diderunt, ubi miranda de hujusmodi conventibus ac tripudiis
fuerunt nugatæ. Verum si dicendum quod res est, mera phan-
tasia est, quid enim non imaginari sibi possunt homines phantasiâ
perciti ac depravati; videatur modò *B. Dn. Sperling. Instit. Phys.*
p. 379. Quamvis enim nos non inficiamur, posse Diabolum Cor-
pora mancipiorum suorum in altum evehere, ac per aërem ad alie-
na loca transportare, quia est Spiritus potentissimus, sæpiusculè
etiam confæderatos suos ità abduxisse, varia perhibent Exempla
atq; historiæ, quin imò ipsum Salvatorem ab uno loco in alium
sublimiorem ac remotiorem secum abripuisse & abduxisse ex
pandectis divinis novimus. Attamen à posse ad esse nunquam va-
luit, valet aut valitura est Consequentia. Nec propria Sagarum
Confessio errorihuc patrociniū affert, experientia enim contra-
rium testatur, dum compertum fuit, non rarò eo ipso tempore
ac horâ, sagas cum maritis alto oppressas somno in lectis cubuisse,
quâ se cum familiaribus suis Dæmonibus saltationes ac convivia
celebrasse confessæ fuere. Sunt quidem nonnulli, inter quos Bo-

*Vid. Ma-
gnif. Dn. D.
Carpzov.
te Crimin.*

C
part. 1. q. 48. n. 27. Bodin. l. 2. de Dæmon. c. 4. Luth. T. 1. Jen. f. 126.

ee dissentiunt, dum contendunt Sagarum animas tum temporis, ubi quasi mortuæ sine motione, jacent, à Diabolo extra corpus ad commestationes illas transvehi, & deinceps cum corpore reduni-ri. Sed absurdorum absurdissimum hoc est, animas è corporibus deportare & cum iisdem rursus consociare quid est aliud, quam mortuos resuscitare, ast hoc infinitæ est potentia, nec ulli unquam creaturæ conveniens operatio. Nos ambabus manibus, ut dubium hoc decidamus, arripimus sententiam *B. nostri Sperlingii*, qui asserit eas ipsas *ἐνσάσεις* supprimi, ac deinceps phantasiâ ita corrumpi, ut severè ac realiter conventiculis hisce cum sodalibus suis interfuisse autument. Quin imò & hoc *ἄτοπov*, animæ, quæ Spiritus est, commestationes, & computationes, quas operationes non nisi cum corpore unita exercere potest, attribuere. Habes igitur rem decisam.

VI. Sagarum neque seipsos neque alios etiam homines in lupos, felles & alia bruta mutare possunt.

Ejusdem furfuris est ficta illa & à credulâ plebe perperam credita *lycanthropia* & *galeanthropia*, quæ tamen etiam inter eruditos suos invenit Patronos, ut sunt *Strabo*, *Varro*, *Olaus M. Paracelsus* &c. Quorum antesignanus est ipse *Bodinus*, qui lib. 2. de Dæmon. c. 6. mordicè illam ipsam defendit contra *Wierum*, & asserit, homines arte Magicâ in lupos, asinos & feles transmutari posse, quin omnia, quæ de *Circe* & *fociis Ulyssis*, Item *Lycaonio* *Arcadico Rege*, Poëtarum tradunt fabulæ pro veris venditare non erubescit. Adducit Exempla & historias nonnullas ex variis Autoribus, & imprimis de *Aegidio Guarnerio* narrat, quod in luum reverâ mutatus puellam 10. aut 12. annorum dilaniarit, femorumque ac brachiorum carnem devorârit. Verum fallit & fallitur ipse *Bodinus*, licet suos inveniat asseclas. Subest fraus & deceptio Diabolica, qui tam suorum quàm aliorum miserè fascinat mentes ac oculos, ut illi mutatos se esse in feras, huc illucque curfitare, greges invadere, à pastoribus fustibus excipi, vulneribusque affici certò credant, cum non nisi *ἐνσάσεις* & phantasiâ ludantur.

tur; hi verò se verè lupos ac feles ejusmodi vidisse existimant. Quæcunq; etiam de propriâ rursus hominum istorum confessione, vulnerumq;ve reali inflictione, quæ deinceps post metamorphosin hanc in illorû corporibus conspicienda fuere, in medium afferant, nihil tamen obtinent, ipse enim Diabolus, utpote qui homicida est & mendax, familiaribus suis, vulnera infligit, quæ postmodum in impetu aliquo à canibus aut pastoribus se accepisse *μανία* corrupti sibi persvadent. Quis enim adeò injurius sit in Philosophiam, ut statuatur animam hominis alienam informare posse materiam, utpote canis, felis, lupi, asini &c. cum inter materiam & formam perpetua debeat esse proportio, quin imò *μετεμψύχωσις* illa inepta jamdudum apud nos exspiravit. Objicere aliàs solent mutationem baculorum Magicorum in Ægypto ipsiusq;ve Mosis; At hoc veritati sententiæ nostræ nequicquam affert præjudicii, modo distingvatur 1. inter transmutationem veram & apparentem. 2. inter transmutationem voluntariam & à DEO permissam. 3. inter conversionem potentiâ finitâ & potentiâ infinitâ, supernaturali modo factam ac miraculoso. Et res in salvo erit. Exemplum Nebucadnezaris, qui in bovem conversus perhibetur, Theologorum, licet non prorsus destituamur responsionibus, censuris submittimus. Plura qui cupit vid. B. Dn. D. Balduin. Cas. Consc. l. 3. c. 5. Cas. VIII. p. m. 740. seqq. B. Dn. Sperling. Instit. Phys. Part. gen. l. 2. c. 4. q. 10. p. 380. seqq. Dn. Licent. Pomar. Colleg. Synopt. Disput. de Mag. pos. 3. §. 2. Henr. Corn. Agripp. de Vanit. scient. c. 44.

VII. Sage & libidinosæ vetula ex Diabolis liberos procreare nullo modo possunt.

Sunt qui ob Physicæ ignorantiam ex infernalium Spirituum cum spurcis lamijs coitu liberos progenerari disertè asserunt, inter quos *Augustinus, Bodinus* &c. quos liberos supposititios, Germanicè *die Wechselbälge* nominare solent. Nos vero à B. Physico nostro aliter docti, coitum quidem lamiarum cum Diabolis admitimus, qui tamen partim *phantasticus*, ubi cum Satanâ rem habere

C 2

*August. l. 11.
de Civit.
Dei.
Bodinus l. 7.
de Damon.
c. 2.*

per libidinosam phantasiam Sagarum sibi imaginantur, partim etiam
realis, ubi in assumpto corpore cum ipsis verè coeunt impuri Dæ-
mones; Sed generationem planè inficiamur, idq; non sine pon-
derosis rationibus. 1. *Quia corporeum & incorporeum non possunt*
constituere Causas socias generationis, nec corpus phantasticum aptum
ad generandum est. 2. *Quia Diaboli non habent materiam genera-*
tionis; quæ est semen, ubi autem nullum semen, ibi nulla genera-
tio, Nec etiã est, quod quis dicat, ipsos aliunde surripere semen hu-
manum, & Sagarum utero immittere, ille enim se rarum in physi-
câ hospitem esse ipsemet proderet, cum scilicet notum ex naturali
scientiã sit, quod semen humanum non adeò sit lentum aut spis-
sum perindè ac brutorum, & imprimis ranarum & piscium, quod
sæpius per duos integros menses in eluvionibus aquarum illæsum
servari solet; Sed spirituosum ac nobile, quamprimùm itaq; aut
temerè aut in somno effusum aëri exponitur, illicò exhalat, Spi-
ritus, fæcunditates & ità vitam amittit, & ad generationem ine-
ptum prorsus efficitur, nec etiam is, qui aliundè surripit, sed qui e-
mittit semen generare potest. 3. *Quia ipsa Saga sæpiuscule phanta-*
sticum fuisse tum coitum tum generationem ipsa fuere confessa, quin i-
mò non veros liberos, sed monstrosos partus vermium instar, quos
prius uteris ipsarum immiserat Diabolus, in lucem enixas esse con-
stat, illos vocârunt **die Elben böse Dinger / einer Spannen**
lang / wie die Raupen / eosq; hominibus alijs in brachia, pedes,
aliaq; membra per Magicam fascinationem inclusisse in nomine
omnium Diabolorum de quibus vid. Nobil. Magnif. Dn. Carpzov.
in Praxi Crimin. l. c. Dn. Lic. Pomar. l. c. Hic ille Sagarum cum
Dæmonibus coitus, hæc illa generatio. Quibus ità stantibus, quid
de succubis Virorum ac incubis mulierum (**von den Aelsen**) eo-
rumq;ve generatione sit censendum, de facili patefcere autumo.

*II X. Liberi supposititii non sunt fetus natu-
rales.*

Non inficiamur, Diabolum ex permissione divinâ alioquin
puerperis parum cautis genuinos surripere posse infantes, & la-
miis suis, tanqvàm ex illo genitos adferre, verum de his nobis non
inter;

intercedit sermo, caveant sibi puerperæ. Sed de illis, quos loco naturalium substituit Satanas *Wechselbälge* / & hos genuinos ac naturales fatus esse negamus rationibus in præced. Theor. adductis innixi. Quid si autem verè generari, fugere, plorare &c. videantur? R. Sit ità, optimè meus te edocebit *Sperlingius*; scilicet Diabolus *μυριότεχνῆτης* est, inflat hic Sagarum uteros ex semine forsan aliundè surrepto, inepto tamen ac infæcundo cum sanguine materno misto, Schema aliquot corporeum satis monstruosum efformat, per illud deinceps non ut forma aliqua informans, sed tantummodò assistens operationes vitales ac naturales ad tempus exercet, ubera sagarum insatiabili aviditate fugit, plorat, edit &c: Uti Exempla illa ante *Megalandrum* nostrum non infrequentia satis superq; demonstrant, Vid. B. *Sperling*. Inst. Phys. p. 386.

IX. *Virgula Mercurialis die Wüntschruthe / agit ex vi Magiæ Dæmoniæ.*

Recurrunt hic ad occultas qualitates, sed frustra, non enim semper & à se agit Virgula illa, nec eundem exerit effectum in arbore, quem extra arborem. Subest fraus Diabolica certo certius, modò distingvamus *inter pactum explicitum cum Satanâ & implicitum*. Primus rei hujus inventor dubio procul pactum habuit cum Cacodæmone explicitum, hodierni verò Metalloscopi pacto utuntur implicito etiam nescientes, ex simplicitate forsan & consuetudine adducti. Ità imponit miseris mortalibus infernalis præstigiator, Ponderet quis saltem ineptias, quibus actio ascribi solet, & fraus patebit; Ex surculo Virgula illa bifido, certo anni tempore, horâ undecimâ detruncata esse debet, & sic Metalla prodit, secus non. *O nugas!* res refutata erit, si rursus ingeminabimus: *Quantitatis nulla est efficacia!* satis.

X. *Natura senium non patitur, nec virium sentit languorem.*

Non dictum hoc volumus de natura hujus vel illius individui, aut hoc vel illo Corpore naturali, horum enim sive senium sive

interitū negare, solē negare est, cum quotidie videamus unū interire alterum oriri Corpus; Verum de natura, prout in Physicis spectatur, hujus universi, s. de natura naturata, & de hāc negamus ac pernegamus, his adducti fundamentis 1. *Quia sequeretur alioquin mundum naturaliter ad finem vergere & interitum ipsius non esse miraculosum, quod absurdum & contra sacras literas, 2. Quia DEUS, ut natura naturans, aq; concurret ad res naturales ac in primo creationis momento concurrebat.* Alia absurda brevitatis causa modò hic superfedebō. Quæ aliàs ex experienciā satis rusticā objici solent, de descensu Cæli, de Eclipsium frequentiā, de agrorum sterilitate, Elementorum afflictione, vitæ humanæ brevitatem &c. omnia à B.

Scal. Exerc.
99. f. 1.

Sperlingio sunt diluta, imò acutissimus Virorum Scaliger Exerc. 99. f. 1. scripta, quæ tales fovent ineptias, *Spongiis, eorumq; authores scuticis castigandas* rectissimè docuit.

XI. Cobaldi seu Virunculi subterranei non sunt monstra (ut vulgò creditur) sed sunt spectra Diabolica.

Monstrum est effectus naturalis à causā aberrante productus, quod de Kobaldis hisce asseri vix poterit. Ostendunt autem illi ipsi sese Metallurgis in metallo fodinis, operamq; suam ipsis communicare præ seferunt, infundunt aquam, fodiunt terram, sed plerumq;ve apparenter, illusi verò & risu excepti homines miserè jugulant. Dispersuntur communiter in benignos & malignos, Verum rectissimè B. Sperlingius distingvit inter benignos ΟΥΤΩΣ & ΦΑΥΟΜΕΝΩΣ. Hoc impostoris artificium est, benignum se ostendere. Nulla hæc distinctio, idem enim est ac si distingverem inter Diabolum bonum & malum, quod contradictionem inferret manifestissimam. Cacodæmon nunquam benignus est, sed sub benignitatis larvâ maximam occultat malignitatem, etenim temporalem pariter ac æternam hominum intendit cladem atque exitium.

XII. Penetratio dimensionum naturaliter non datur.

Dico *naturaliter*, quod enim supernaturaliter per infinitam DEI infiniti fieri potest omnipotentiam id nostrum excedit & transcendit.

scendit hemisphaerium. Solemnia alias naturæ absurda sex nu-
merari solent. 1. *Infinium dari.* 2. *Unum Corpus simul in pluribus esse*
locis. 3. *Processus in infinitum.* 4. *Accidens sine Subjecto.* 5. *Vacuum.*
6. *Penetratio dimensionum* Prob. Quia duo corpora non recipiun-
tur ab uno loco, qui ergò absurditatem amat, statuat.

Ex Parte Speciali.

XIII. Figmentum est vulgi, totam, Unicornu Speciem in
κατακλυσμῶ illo Catholico interiisse.

Argumentamur: Si nulla species interiit, sequitur quod neq; U-
nicornu species. Atqui verum est prius. E. etiam posterius. Major
constat. Minor hætenus satis confirmata & corroborata est à B.
nostro & ingeniosissimo *Sperlingio* ut & ab aliis. Probatur au-
tem imprimis illud ipsum 1. *Ex mundi integritate.* 2. *Ex DEI* (si ita
loqui fas est) *curiositate*, quæ tanta fuit, ut etiam ex quâ libet specie
impurorum animalium certa paria in arcâ custodiri jufferit, quò
postliminiò species illæ per generationem conservarentur. 3. *Ex*
absurdo: Quia hæc ipsa persuasio injuria est in naturam ipsam,
utpote cui violentum affingit & infert vacuum, quod flagitium
innatura subtilissimus vocat *Scaliger*. Exerc. 250. Dicunt obstare
Cornua Monocerotum, quæ hinc inde in *Silesiâ, Moraviâ, Bohe-*
miâ, Sylva Herciniâ, ut & in *Misniâ* è terrâ effodiantur, colligunt
hinc carnes sub terrâ esse absumptas Solis residuis ossibus; Ve-
rum ignorantia est, non effoditur Cornu quadrupedis alicujus, sed
minerale aliquod, nociferis febribus ac venenosis morbis in re-
medium à Sapientissimo Conditore paratum, ut testem non invo-
cem experientiam, quæ hodiernam Monocerotis existentiam ex
probatis statuminavit relationibus, de quibus vid. B. *Sperling.* in
in *Zoologiâ* suâ. Plura addere nolo.

XIV. Figmentum est, tribulos, urticas, spinas, lolium
Zizania, post lapsum à DEO demum esse
producta.

Argumentamur: Si nulla species mundi de novo oritur, sequitur
quod neq; hæc ipse. At verum est prius. E. Major iterum luce non
indi-

Scal. Exerc.
20. f. 1. p. 7.
728.

Indiget, *Minor* ex abundantia probatur 1. ex essentiali mundi perfectione Gen. 2. 2. ex divina quiete post mundum conditum. 3. ex ipsius opificis summa perfectione. Objiciunt maledictionem divinam Gen. 3. 27. sed res in vado est, saltem distingvamus inter nudam harum specierum existentiam: & inter accessoriam post lapsum penam. Fuerunt omnino, sed nondum homini discommodæ, jam verò homini & segeti jussu Creatoris justipropter inobedientiam incommodum cesserunt atqve molestiam. Et quid novi, nonne ipsa animalia bruta non pauca homini nunc sunt noxia & infesta, quæ tamen ante lapsum extitisse nemo negare hactenus ausus fuit?

XV. Aquæ supracælestes non sunt in loco violento.

De existentia harum aquarum litem non revocabimus, non enim sumus nescii, quantis rationum fulcimentis illa ipsa non tantum à B. Sperlingio, sed ab aliis etiam consummata eruditionis Viris sit stabilita. De loco linea una vel altera duntaxat erit addenda. Et quidem 1. prob. quod verè sint in loco: Argum: *Omne Corpus naturale naturaliter est in loco. Aquæ supra cælestes sunt Corpus naturale. E. aquæ supra cælestes sunt in loco.* Contra Aristotelem qui ex falsâ hypothesi de Loco illud non concedit. 2. probandum, quod sint in loco naturali, non violento: Objicis: *Si aquæ supra cælestes sunt ejusdem cum sub cælestibus naturæ, non possunt esse in loco naturali. At qui prius conceditur. E. & posterius. Resp. neg. Conseq. Probas. Q. est ejusdem naturæ cum aquis sub cælestibus illud descendit. Quia omne grave descendit. Resp. Sit ita, si scilicet est in loco violento.* At audi, non ex tuo aut meo ingenio, sed ex Sapientissimi Conditoris arbitrio rei alicujus locus naturalis est judicandus. Ille enim cujusq; rei naturalis est locus, quem ipsi in primâ rerum fabricatione assignavit Creator. Et terra ipsa gravissimum Elementum est, & tamen in nihilo pendulum, Cælum nonne gravissima sustinet corpora? Cave, ne ruat aut decidat. Jam dudum te liberavit hoc metu, ut cum Scaligero loquar, summus & Sapiens ille Architectus, noluit violentiam in naturâ, noluit naturæ destructionem, sed conservationem; optimè a. scivit, violento.

violentum naturæ esse destructivum; sed *Pondere, mensurâ, numero DEUS omnia fecit.* Jamdudum delapsæ fuissent hæ ipsæ aquæ, nec te aut me expectassent, si à loco cingerentur violento. *Nullum enim violentum diuturnum esse,* quis nescit? jam autem aquæ illæ sex millia fermè annorū in loco suo fuerunt contentæ, nec ulla adhuc lapsus cernitur indicina, non ergò erunt in loco violento. Tutus igitur esse potes ab aquis illis supracælestibus, cave à subcælestibus ne obruaris aquis.

XVI. Ignis culinaris specie non differt ab igne Elementari. contra Hippicum, qui in Problem. Phys. 23. illud negat.

Ratio in procinctu est, quia scil. de eadem hic noster cum Elementari participat definitione. *Est enim Corpus naturale simplex, subtilissimum, levissimum, calidissimum & siccissimum.* Habet nonnullas, quas opponit nobis, ratiunculas ipse Hippicus, & quidem i. dicit, *Ignem culinarem non esse Corpus simplex,* sed nihil aliud quàm vaporem accensum. At Resp. *hoc inficiando, & distingvendo inter ignis culinaris essentiam & existentiam.* Concedimus enim, quod multa diversa ipsi cohæreant corpuscula, interim tamen nō statim sequitur, quod non sit simplex ratione essentiæ, aliàs parili ratione valeret etiam asserere, ignem Elementarem non esse Corpus simplex, quia notum est, Elementa in mundo nunquam dari pura, d. semper cum aliis Corporibus esse cōmixta, Sed hoc absurdū, ergò etiam illud non carebit vitio. 2. *Accusat ignem nostrum, quod non sit lucidus.* Resp. *disting. inter diversum ignis hujus conditionem & statum,* si enim igniculi sunt congregati, tunc maximè lucet, si verò sunt dissipati, lucidus esse propter paucitatem igniculorum non potest, & æqualis etiam sortis est ignis Elementaris. 3. In hoc disparitatem repositam esse ait, *quia ignis culinaris subinde requirat pabulum,* Elementaris non item. Resp. *Negatur prius,* ignis ex se & suâ naturâ nullo indiget pabulo, quod autem pabulum appetat, id fit propter raptum & amorem similibus, quia in pabulo, ut stramine, ligno, sævo, cerâ &c. latent igniculi, idem fit cum Elementari. Est igitur per accidens, quod ignis habeat pabulum. 4. *Ex falsa hypothesisi disputat, quod ignis debeat esse sub Concavo Lunæ.* 5. *Ignem Elementarem, inquit, à vaporibus non lædi, hunc v. culinarem*

D

ab

ab iisdem extingui. Resp. neg. Ignis enim extinctio quid est? Est igniculorum hactenus conjunctorum disgregatio & occultatio, non verò totalis ignis eradicatio aut annihilatio. Parum itaque sub se difficultatis habere has ipsas Objectiunculas ostensum & sententiæ nostræ firmiter luci exposita hactenus satis fuit. Autoritates, quibus minimè destituimur, adducere nolumus.

XVII. Sol non est calidus.

Contra Paripateticos &c.

Calor est Qualitas Elementaris, cuius πρῶτον δευτικόν est ignis. Jam autem Sol est simplicis materiæ, & ab Elementis prorsus alienæ, quomodo ergò habeat affectionem Elementarem? Objiciunt: Quod quid non habet, alteri dare non potest. Sol non habet calorem. E. etiam alteri dare non potest. quod absurdum, quia Sol revera calorem dat his inferioribus. Resp. 1. ad Maj. per instantiã: DEUS non habet Corpus. E. etiam alteri corpus dare non poterit. 2. limbo Majorem ita: Quod quid habet neg, formaliter, neg, virtualiter, neg, eminenter, illud alteri dare non potest. Sic limitatã Majori spontè corrumpit Minor. Sol enim licet in se & formaliter non sit calidus, est tamen virtualiter, quatenus nimirum per vim suam extrahicem è terrâ atomos igneas elicit, & in aërem dispergit, unde calefiunt deinceps sublunaria, vid. B. Sperling. Instit. Phys. p. 803. seqq. Nec loca scripturæ ut Sir. 43. v. 3. 4. & Ps. 19. v. 7. contrariæ patrocinantur sententiæ, si enim distingvatur cum Sperlingio nostro, 1. inter rem & rei modum. 2. inter locutiones proprias & tropicas, & 3. inter calorem affectivè & effectivè consideratum. Nodus solutus erit facillimus.

XIX. Omnis inflammatio est à sulphure.

Est enim Sulphur primum uti coloris & odoris, ita etiam inflammabilitatis subiectum, hinc dicitur primum Φλογισόν à B. Dn. Sennerto & aliis. Per sulphur autem hoc loco intelligendum non commune illud & domesticum, quod est minerale, & propterea à potiori ita denominatur, quia plurimum sulphuris nostri in se continet, & eâ de causâ etiam inflammabilitate gaudet; sed potius

potius sulphur hic nobis est alterum principium Chymicum à quatuor Elementis, Sale itidem & Mercurio distinctum, hoc inflammationis causa est. Sanè non exiguum naturæ conservandæ est adminiculum. Ignem licet haberemus, si sulphur non adesset, nec cibos nec cerevisiam coquere, nec hypocaustum calefacere, nec candelam accendere, nec alia necessaria in mechanicis præprimis exercitia perficere possemus. Ignis enim per se nõ inflammatur, nisi pabulum ipsi præbeatur à Sulphure, ligna, stramina, lintea, charta, vina, olea, candelæ &c. non comburerentur, nisi ipsis inesset sulphur, à sulphure omnia fiunt incendia, inest ipsum sulphur asseribus, tignis, lapidibus, quæ facile admota igni inflammari possunt; propter ingentem sulphuris copiam Montes ignivomi horrendas eructant flammæ & igneos globos, id quod superiori anno 1660. Mens. Jun. & Jul. in Campaniâ Vesuvius, Mens. Octobr. in Siciliâ Æthnâ, non sine miserabili ædificiorum pariter ac hominum clade atque exitio præstitere, uti ex relationibus ad nos allatis percepimus, ubi in tantâ copiâ ejaculati sunt flammæ, lapides & cineres, ut ipsum solis lumen velamine aliquo horribili involutum, incolis quæ fatalem adesse diem creditum fuerit. Ob sulphuris præsentiam accenditur pyrius pulvis in bombardis, ut globi explodantur. Latet ignis in multis corporibus ligatus, ac non raro quasi nullus esset, excitatus à sulphure ostendit flammæ & spargit calorem. Cur enim ex chalybe chalybi, aut pyritæ atrito elicitur ignis? Sanè quia adest sulphur, unde, quæso, fulmina & tonitrua visu ac auditu horribilia? A sulphuris è terrâ extracti in quibus aëre accensi (cæteris tamen paribus) copiositate. Verbo: *Neminimum quidem accendi aut inflammari sine sulphuris præsentia poterit.*

XIX. *Ignis fatuus, quem nostri vocant den Zerrwisch/nen illicò est Spectrum aliquod Diabolicum.*

Habet quippe naturales suas causas. Est enim Meteoron ignitum ex effluvio pingui, viscoso & sulphureo accensum, hinc ut plurimum

D 2

vid. B. D.
Senn. Epit.
nat. Scient.
l. 4. c. 3. p. m.
400. seqq.
Id. Aud. ar.
de princip.
Chym. c. 2.
p. m. 54. seqq.
B. Dn. Sperling Instit.
Phys. p. 716.
& p. 878.

Contra Ge-
org. Remigium l. 1.
Dæmono-
latr. cap. 3.

mum circa paludes, cæmiteria, patibula, macella & metallo-fodi-
 nas huc illucq; candelæ instar ardentis, oberrat, egrediuntur enim
 pingues ibidem exhalationes tum ex locis istis uliginosis, tum ex
 hominum pecorumq;ve ibi sepulcorum & mactatorum cada-
 veribus, quæ deinceps à residuo diei calore tempore nocturno,
 per frigus in angustum redactò, facilè accenduntur. *Fatuus* au-
 tem dicitur ignis iste, propter motum, quia tanquàm fatuus & te-
 mulentus hinc inde vagatur, mox ad dextram, mox ad sinistram
 titubat, modò sursum elevatur, modò deorsum deprimitur, nunc
 lucescit, nunc evanescit, prosequentem fugit, fugientem sequitur.
 Qui vagabundus motus provenit vel à ventorum flabris, quibus
 hinc inde dispellitur, vel à pabuli raritate ac defectu, vel etiam ab
 aëris raptu, fugientes enim aërem secum rapiunt, prosequentes
 ante se propellunt, & cum aëre ipsum quoq;ve ignem. Quò de-
 inceps evenire solet, ut non rarò viatores mirum in modum circū-
 agitet, ipsi enim candelam in pago aut opido propinquo accen-
 sam se videre credentes plerumq; in amnes & paludes, quas cir-
 cum cursitat, præcipitantur, hinc etiam Germani nostri *Den Irr-
 wisch* appellitant. Hoc tamen negare non ausim, quin sæpiusculè
 colludium suum vagabundus Spiritus, malus Dæmon cum hoc ipso
 habeat igne, ut hominibus, quorum perniciem in deliciis ponit,
 malum aliquod inferat. Vid. *B. Senn.* l. c. p. m. 309. seq. *B. Sperling.*
 l. c. p. 903. *Keckermann.* Syst. Phys. l. 6. c. 4. p. 643. seq.

*XX. Hospes, cujus tecto aut fumario incubat Draco volans, non
 actutum & temerè insimulandus est veneficii.*

Ratio est, quia & hæc res causas suas habet naturales. Est
 enim Meteoron ignitum ex effluviis pinguibus ac sulphureis in aëre ac-
 censis oriundum, speciem Draconis alicujus alati, propter dissimiles
 partium dispositiones, representans. Nam mediæ crassiores, extremæ
 subtiliores sunt partes. Quod verò sæpius tectis infideat & quasi Ca-
 mino immisso se videatur, causæ in promptu sunt, l. n. à ponderis
 gravitate eò deprimitur, vel à ventorum vi illic devehitur, ve etiam
 propter raptum similitum s. Sympathian, quæ præprimis militat
 ratio, eò attrahitur. Caminus enim multos fovet igniculos, quibus
 se

se consociare gaudet Draco volans, ob naturalē *συμπάθειαν*,
 & sic quasi agglutinus fumario inhæret. Ridiculum itaq; est ac
 ineptum, quod pleriq; de vulgo, conspectu hoc meteoris, cruci sese
 figent, minori pietate quàm superstitione, itemq; in fontes homi-
 nes, quorum superincubat tecto Draco, (plerumq; vero hospitam,)
 veneficos Satanæq; conjuratos esse proclamitent, apud vicinos,
 cives, ac Magistratum suspectos, infestos ac infames reddant, quò
 ipso temerariam suam produnt ignorantiam. Diffitendum qui-
 dem, proh dolor! haut est, & compertum sapius, antiquum Dra-
 conem, imprimis huic Meteoris sese investire solitum, & sub tali
 schemate ad lamias per fumaria, tecta & alia loca sese immisisse,
 lac, frumenta, argentum & alia necessaria, quandoq; quidem,
 verè, dum aliunde surripuit, non rarò tamen dolosè & apparenter,
 uti solet deceptor, adportasse, quin imò Cultoribus suis ædes in-
 cendio perdidisse, ob levissimum aliquod erratum, uti enim fama
 tradit vulgi, perfacile solet offendi, saltem si lac, quo pasci sivevit,
 non justè sit temperatum, tunc aut pecudes enecat, aut, quod cum
 veniâ loquor, pediculis confertim ac copiosè conspergit culto-
 res, aut quoq; ædium conflagratione suos plectit & castigat man-
 cipatos atq; Clientes. *Accidit in Borussia, non procul à Regiomonte,*
(verba sunt Keckermanni) ubi ancilla jussa lac calefactum in supe-
riorem ædium partem deferre, & Draconi offerre, ubi terribilem ejus
speciem vidit, consternata lac in Draconem effudit, quo facto, statim æ-
des conflagravit. Imò adeò ludit veneficis suis & conjuratis, ut
 ab alijs non melioris notæ vetulis ac sagis se adjurari patiatur
 ineptis verborum formulis ac stultiloquijs. Unum ex Kecker-
 manno ut adducam, ita adjurant:

*Ich beschwere dich Alp/ Alp/
 Der du Augen hast wie ein Kalb/
 Ein Rücken wie ein Bactrog/
 Weiß mir deines Herren Hoff.*

En quales nugæ, risum teneatis, amici, quibus tamè maximam inesse

D 3

fasci-

*Vid. B. Sperling. Inst. Phys. p. 906. B. D. Senn. Scient. nat. p. 309. Keckerm. System.
 Phys. p. 643. 641. 642. Dn. Barthol. System. Phys. part. Spec. 2. de Meteoris
 l. 1. c. 5. p. m. 150. 151.*



vim fascinati sibi imaginantur homines. Quod verò ut ad scopum redeamus, semper & ubicunq; ejusmodi conspicitur Draco, fiat illud ipsum, hoc pernegatum volumus.

Contra Barthol. l. c. 1. 2. c. 4. p. 186.

XXI. *Nix non habet colorem, sed splendorem propter aquam, ex qua gignitur, & sic propriè alba dicenda non est.*

Propriè, inquam, alba dicenda non est, nolo tamen cum Anaxagorâ absurdus esse, qui nigram nivem dicere non dubitavit, quod sensibus repugnat; Sed saltem distingvendum hic loci esse puto, & inter communem & vulgarem loqvendi modum: & inter propriam & genuinam locutionem. Quando vulgò id quod nimis album est, candidius nive dicere solemus tunc illud de nive non propriè, sed impropriè intelligendum, cum vulgo enim loqvendum est, at cum eruditis sentiendum. 2. disting. inter colorem realem & intentionalem. Colorem realē Nix non habet, sed intentionalem tantum, ratio est, quia omnis color realis, qualiscunq; ille pro variâ materiæ mistione sit, à sulphure est oriundus, in nive autem quale sulphur? ne minima quidem portiuncula, quod patescit ex defectu inflammabilitatis, accende mihi nivem, & eris artifex, nullus hactenus inventus Chymicus fuit, qui sulphur per resolutionem è nive extraxisset. Videmus igitur, quod sit color intentionalis, ab ipso aquæ splendore, quod in liqvefactâ facile conspicitur nive, ubi in puram putâ resolvitur aquam & omnem amittit colorem, secus ac Corpus aliquod realiter coloratum. Et quid mirum, quod ejusmodi ostendat colorem, cum idem & in glacie & spumâ aquæ reperire liceat?

XXII. *Manna Israëlitarum diversum fuit à Mannâ naturali.*

Vid. B. Dn. D. Senn. Epit. Scient. nat. lib. 4. c. 8. p. 359. B. Dn. Sperling. Instit. Phys. Part. Spec. lib. 5. c. 8. Qv. 3. p. 956. seqq.

Israëlitæ per 40. annos in itinere constituti Mannâ cælitus delapsâ pastos fuisse divina perhibent Volumina. An verò ejusdem cum naturali fuerit speciei ac indolis, nondum prorsus conventum est. Nos cum Præceptoribus nostris *ἡ μὴ ἐν ἀγίοις*, Celeberrimo Sennerto & Incomparabili Sperlingio negativam tuemur, idq;

idque sequentibus permoti rationibus. 1. *Quia Manna Israelitarum tanta erat duritiei, ut in mortario contundi & vigore ignis in tortulas s. placentulas redigi posset, quam qualitatem naturalis illa non agnoscit.* 2. *Quia in crastinum reservata vermibus inficiebatur, idque ex singulari & extraordinaria DEI dispensatione factum fuisse quis non videt?* 3. *Accidit & hoc, quod ipsi Ismaelita ignorarint, qualis cibus fuerit, hinc dixere* *וַיֹּאמְרוּ אִיזֵה עֵץ מִן־הַשָּׁמַיִם* Exod. 16. v. 16. quod LXX. reddiderunt *ΤΙ ΕΣΤΙ ΤΑΥΤΟ*, quid hoc est? Quibus pollicem premit Judæorum Historiographus Josephus lib. 3. Antiq. Jud. c. 1.

XXIII. Iris & solaris & lunaris fuit etiam ante diluuium.

Argumentamur: *Positis causis non impeditis ponitur effectus. Atque ante diluuium adfuerunt Causa Iridis. nec m. impeditur & etiam Iris fuit ipsa. Major est canonisata. Minor prob. ex causis Iridem constituentibus, quæ sunt guttulæ rariores ex opposito Solis aut Lunæ decedentes, ita ut quasi Specula radios Solares & Lunares recipiant, iisdemque interpositus oculus. Quas causas antè diluuium æq; ac hodiè ad fuisse in proparulo est. Dubium multis verba movent Creatoris Gen. c. 9. v. 13. *Ecce arcum meum posui in signum fœderis inter me & inter terram &c.* Dicunt: *Si post diluuium Iris demum à DEO in signum federalis gratiæ fuit instituta, sequitur quod antea non fuerit.* Verum Resp. neg. conseq. & disting. 1. *inter primam Iridis creationem: & inter extraordinariam novi signi impositionem s. inter Iridem spectatam absolutè, quatenus Meteoron est Emphaticum: & inter Iridem respectivè, quatenus est Signum misericordiæ & gratiæ divinæ.* 2. *disting. cum B. Sperlingio, inter rem & rei officium.* Statuimus nos, & rectè, Iridem adfuisse ante inundationem illam universalè, sed sine certo aliquo signo, respectu aut officio, quod deinceps à benignissimo Conditore! ipsi fuit superadditum. Non secus ac lapis agrum terminans antè officium illud adesse potuit, sed absque respectu hoc, quem deinceps accipit, ut scilicet sit terminus agrum ab agro discernens. Memini, aliquando B. Dn. Sperlingium, cum hæc privatim in domo suâ explicaret, à mensâ, quæ lectioni ipsius*

ipfius inferviebat, Exemplum commodè petiiffe. Sicut enim, dicebat beatus Vir, mensa illa, quajam est signum lectionis meae, ante lectionem meam non planè fuit non-Ens, sed adfuit jamdudum: ita cum Iride etiam rem comparatam esse vobis persuadete.

XXIV. Mures ex quisquiliis, ranas ex putredine, scarabeos ex stercore equino, vermiculos ex caseis, aliàq; minoris notæ animalcula ex diversis generari materiis, purū putum figmentū, & monstrum in naturā est. Contra Peripatet. vetustior, Thomam, Conimbr. l. 2. de Cælo c. 3. q. 6. p. 223. seqq. Magir. l. 6. comment. Phys. c. 3. p. 557. Jachæum Instit. Phys. l. 5. c. 5. p. 338. Cardanum l. 9. f. 212. Joh. Bapt. Portam, Laurenberg. Dn. Zeifoldum, Horstium Compend. Phys. Hippocrat.

Ratio: Quia & generatio ipsa æquivoca, quā provenire dicuntur dicta animalcula, monstrum & figmentum est. Nos sententiam Adversariorum insulsam planè & ineptam acriter impugnantes sequentibus h. l. utimur argumentis: 1. Quia sapientissimus rerum Conditor in primā statim natura institutione ita disposuit, ut simile à simili, beneficio alicujus seminis progerneretur, idq; ut in plantis & herbis ita imprimis etiam in animalibus brutis observatum fuit 2. Ex historiā diluvii, ubi per certa paria, in quālibet specie animalium, naturā DEUS conservare voluit. 3. Quia inanimatum non potest producere animatum, aliàs enim effectus nobilior suā esset causā, quod implicat. 4. Quia effectus determinatus & particularis determinatam & particularem requirit causam. 5. Quia ne sexcenta quidem accidentia ad unam producendam apta sunt substantiam. Jam fiat applicatio: 1. Si quodlibet brutum ex suā specie simili debet progenerari, sequitur quod non ex quisquiliis, putredine, stercore &c. producantur. 2. Si ex putredine aliisq; rebus inadæqvatis generari potuisset animal, non opus fuisset, ut DEUS tam curiosè paria cujusq; speciei in arcā, tempore κατακλυσµῶν custodivisset. 3. Quando ignorantia asylum & κρισφύγετον aliquod quærentes ad Solem & reliqua sidera recurrunt, tunc tertia nostra militat ratio, sunt n. inanimata, & ad animatum producendum inepta, quodlibet autē vivens quovis non-vivente excellentius esse ipsi Conimbricenses affir-

Vid. B.
Sperling. l.
c. p. 999.
B. Senn. l.
c. lib. 4. c. 9.
p. m. 361. seq.

affirmant. 4. Cælum & reliquæ stellæ concurrunt quidem ad hæc ipsa animalia d. tanquàm causæ remotæ & universales, nõ verò tanquàm proximæ & particulares. 5. Putredo, calor &c. mera sunt accidentia, quomodo ergò progignent substantiam? Et sic res expedita est. Monendum tamen censemus h.l. quando i. ab experientia testimonium desumunt, quod distingvendum sit *inter experientiam plebejam & eruditam*. Non quod Corydoni alicui ita factum videtur, illicò verum est, sed quod ab eruditis & ratione munitis probatur. 2. Quando sensus ipsos non aliter illud astruere præcedunt, siquidem omninò verum est, quod videamus ex modò dictis rebus animalia hujusmodi provenire, tunc respond. ex Metaphys. disting. *inter materiam ex quâ & in quâ*. Aliud sanè est, mures generari ex quisquiliis, ranas ex putredine, scarabæos ex stercore, vermiculos ex caseis: & aliud est, generari mures in quisquiliis, ranas in putredine, Scarabæos in stercore, vermiculos in caseis &c. De ultimo potissimum res notissima est, magnâ sæpius copiâ & turmatim quasi conspiciuntur in caseis vermiculi, ita ut totum absument caseum atq; deperdant; sed tamen non generati sunt ex caseo, sed in caseo, ex semine inibi in lacte contento, & jamdudum à vaccâ absorpto, hæctenus enim latuit forma illa vermiculorum subordinata, quæ deinceps juris sui facta vires exseruit, & invento pabulo vermiculis grata, per generationem univocam multiplicata fuit. Et sic se res habet eum muribus, muscis, ranis, scarabæis, &c. Nulla enim sine semine, aut ad minimum principio seminali, facta, fit aut futura unquam est generatio, exspirat itaq; suâ sponte æqvivoca.

XXV. Calidum innatum, substantia supra-elementaris, anime & Corporis est vinculum.

Inter animata nullum existit, quod absq; Calido innato vitam degat. Natura enim non extrema per extrema, sed extrema per media conjungit. Calidum innatum ergò inter animam & corpus crassum mediè rationem obtinere debuit &c. Verba sunt desideratissimi Sperlingii in aureo plusquam de Calido innato Libello, Porism. 3. p. 75. *Calidum innatum* verò appellitamus illud, quod $\sigma\omega\mu\alpha$ $\theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\epsilon\rho\nu$ $\pi\nu\epsilon\ddot{\upsilon}\mu\alpha$ $\tau\acute{\omega}\nu \acute{\alpha}\sigma\rho\omega\nu$ $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\acute{\iota}\omega$ $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\nu$ ab Aristotele salutatur. Non magis propriè quàm sivetè *Calidum* dicitur, *Spiri-*

E

tus

Scal. Exerc.
287.

ius enim nomine vocari melius mereretur & convenientius, non quidem ratione ἔσις s. essentia, sed ratione ἀναλογίας s. convenientia. Est enim Substantia invisibilis, inpalpabilis, subtilis, nobilissima, admirandis potentiis ac facultatibus celeberrima. Nec calidum itaq; nec frigidum est, sed divinam habet indolem. Innatum verò sive Spiritus insitus dicitur, quia à glorioso Deo Corporibus naturalibus, & quidem viventibus in & cum semine in primâ rerum plasmatione concreatum fuit. Viventibus, inquam, ut nimirum semina illorum facundaret, & ad generationis opus redderet idonea, hinc plena calido hoc, seu Spiritu insito, viventium sunt semina, imprimis tamen hominis. Substantia quod sit, res in aprico est, & contra Adversarios evictum à B. Sperlingio viriliter. Est enim Corpus, licet subtilissimum, sustinet accidentia, quæ sunt variæ illæ atq; insignes potentia. Supraelementaris est indolis, nec ignis, nec aëris, nec terræ, nec aquæ gaudet essentia, ideoque etiam nullum inter Elementa agnoscit hostem, sed saluum & integrum in seminibus, radicibus & plantis, tempore hyemis, in medio gelu & glacie prostat, id quod videre est in Rosmarino, ruta, buxo &c. quæ nullum à frigoris inclementia patiuntur damnum, venenum autem, utpote quod quinta est essentia, habet contrarium. Virtutibus etiam præditum est supraelementaribus, inservit enim nutritioni, augmentationi, procreationi, ambulationi, visioni, auditioni, reliquisque vitalibus operationibus, ut *Causa* tamen *instrumentalis* in viventibus, vim verò habet purgandi, confortandi &c. ut *causa principalis* in herbis aridis, siccis & animâ orbatis. Non enim anima Rhabarbari est, inquit Physicus noster B. quæ pulvere Rhabarbari assumpto bilem aut pituitam evacuat &c. Sed ad Calidum innatum in his & sexcentis aliis tutissimè confugere licet. Est autem anima & Corporis vinculum, quia utriqve est proportionatum, animæ ob subtilitatem & nobilitatem, Corpori ob corporeitatem. Hoc, inquit sæpius laudatus & nunquam sine laude citandus B. Dn. Sperlingius, presente & vigente florent, eodem absente & languente contabescunt & intereunt omnia viventia. Scilicet basis & fundamentum est vitæ vitaliumq; operationum omnium hic ipse Spiritus, hinc in omnes corporis particulas diffusum est atqve

atque dispersum, & pro *subiecto adaequato totum habet Corpus*, cui *essentialiter* inhabitat, pro *primario* verò ipsum agnoscit *Cor*, cui *radicaliter* insidet. Constat autem materia hæc divina duobus principiis sive substantiis realiter ab invicem diversis, quorum illud *activum s. consumens*, *calidum innatum*, hoc *passivum, s. consumendum* dici sœvit, & est *humidum radicale*. Absumitur hoc ipsum indies magis magisque, & olei instar à flammâ, depascitur. Instauratur quidem per influens absumentum, h. e. per cibum & potum, utpote, qui etiam calidum innatum, quod à causis suis acceperunt, in se continent; interim tamen quia influens deterioris est naturæ, nec ejusdem cum innato & jam depasto bonitatis, hinc non aliter ac ipsa vina & olea quæ crebrius affusâ aquâ vilescunt & in aquam ferme abeunt: Sic etiam innatus hic Spiritus s. Calidum innatum, pedetentim ob humidi radicalis defectum deficit & diminuitur, tandemque non secus ac lampas aut lychnus deficiente pabulo prorsus extinguitur. Disrupto hoc vinculo, anima & Corpus dissolvuntur, id quod fit in senibus, macidis & tabefactis naturali morte pereuntibus; in morte tamen violentâ res aliter sese habet, hinc in plantis morte violentâ affectis & hinc inde evulsis Calidum innatum manet residuum. Plura qui vult, adeat *B. Sperlingium* nostrum in Tr. c. de Calido innato.

XXVI. Anima actu est in semine.

Castam huc afferto mentem, & castus abibis, nulli hic offendiculum præbitum volumus, sed ut Philosophi de rebus naturalibus, quatenus naturalia, sermocinamur, puris omnia pura, impuris impura purissima quæque. Physici est agere de semine, tanquam de materiâ productionis Corporis naturalis misti. Ne autem hic cum ventis digladiari videamur, nervus s. status Controversiæ attendendus ante omnia erit, format hunc *B. noster Sperlingius* in nobilissimo de formatione hominis in utero Tractatu p. 33. ubi dicit, *Sermonem non esse de semine in parentum testiculis aut prostaticis ad huc harente; nec de semine temerè & petulanter effuso, neq. de semine citra socialem conjunctionem spectato, vultò minus de semine non retento, infacundo & non prolifico; Sed de semine retento, facundo, in actu thorali communicato, & in utero benè disposito harente. Et sic re facillimo*

mo



Vid. B.
Sperling.
rationes
Traët. de
form. hom.
p. 31. seqq.

Scal Exerc.
344. f. 6. p.
m. 1029.

Vid. Sper-
ling. Instit.
Phys. p. 1225
seq. Id. de
format. hō.
inut. c. 5. p.
102. seq.
B. Senn. de
Consensu &
Discensu
Chym.

mo jam probatam dabimus negotio: 1. *Quia anima operatur in se-
mine*, quid n. vis illa plastica aliud nisi animæ facultas? jam autem
propria suum arguunt Subjectum, pulcherrimo n. hæc se invicem
sequuntur ordine: *Esse, posse, operari.* 2. *Ex absurdis, quia 1. sic homo
non generaret hominem. 2. accidentia sine substantiis operarentur.* Ar-
gumenta quæ à D. Freitagio & aliis in medium contraria proferū-
tur eorundemq; discussionem nervosissimam vid. ap. B. Sperl. Tr.
de Semine. Orig. form. ejusq; defens. It. de format. homin. in utero.

XXVII. *Phantasia magna vis est.*

Meminit Scaliger Exerc. 344. f. 6. cujusdam *Reguli Vasconis*
equitis, qui audito phormingis sono illico urinam mittere coa-
ctus fuerit. Itaq; cum aliquando in convivio aliquo cui ipse inter-
fuit, ad ductus fuisset cæcus cum phorminge, ille per motus sono
ibi sub mensam, inter clarissimorum convivarum pedes, quin mei-
ret continere se non potuit. *En phantasia!* Alia Exempla passim in
Præceptorum nostrorum leguntur libellis, quam ridiculis non ra-
rò correpti fuerint homines phantasiis: Hic granum tritici se esse,
ille ex butyro se confectum, alius cornua se habere existimavit. Et
unde, quæso, tot monstruosæ impressiones gravidarum mulierum,
quæ in infantibus deinceps ad mirationem & stuporem conspiciū-
tur? Sanè non nisi à Phantasiâ. Quas non effectus illa ipsa edit? Qui
oscitantem aspicit, ipse oscitat, de dentium dolore nimis curiosè
cogitans, vehementioribus afficitur doloribus, imò in ovibus Ja-
cobi Patriarchæ quid Phantasiâ possit satis fuit conspectum. Et
quis nescit, quam graviter Phantasiâ non rarò vexentur somnam-
buli, ita ut noctu surgant & miras edant operationes, de quibus vid.
Excellentiss. Dn. Lic. Pomarii disput. duas de Noctambulis erudi-
tissimas &c. Nos hic filum abrumpimus, & Sapientiæ Cœlesti
grates persolvimus.

NON sufficit tacitis libellis immori
Evolvèreq; perdocta scripta ad pulpita;
Sed parta producenda doctrina est foras
Opesq; collectas oportet promere.
Quod dum facis, CUNRADE, gratulor
De laude Tibi doctæ tuæ mentis jugi
Ausisq; publicis, quæ Deus feliciter
Profligat atq; prosperet, cuncta precor!

Constantinus Ziegler SS. Tb. Lic. Phys P. P.

94 A 7380

ULB Halle
004 073 428

3



Jun 1399
VD 17


TT



HOB
DIS

Dios
Witte





DISPUTATIO PHYSICA 44 42

exhibens

I.

DOCTRINAM de

MAGIA.

II.

THEOREMATA

MISCELLANEA

ex parte tùm generali tùm speciali Physicæ,

Quam

Sub PRÆSIDIO

Viri plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. CONSTANTINI ZECKA

SS. Theol. Licentiati, Physicæ Professoris Publ. in Academiâ Wittebergensi florentissimâ longè celeberrimi,

Domini, Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui filiali plusquam observantiâ etatè devenerandi,

Ad diem 6. Aprilis Anno *m̄s* Χϰϰϰϰϰϰϰϰ 1661.

Horis matutinis, in Auditorio Majori.

Publicæ Philosophorum ventilationi subicit

M. ELIAS CONRADI Dresd. Misn.

Aut. & Resp.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

Anno *cl* *ls* CLXI.